



Disputatio medica inauguralis de vesicae & renum calculo

<https://hdl.handle.net/1874/342452>

15.

D I S P U T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S ,
D E

Vesicæ & Renum Calculo,

A U S P I C E D E O O P T . M A X .
Quam,

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices , Eloquentiae & Historiarum Professo-
ris Ordinarii.

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academici Consensu , Nobilissimæque
Facultatis MEDICÆ Decreto*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè & legitimè consequendis ,

Eruditorum examini subjicit

N I C H O L E T T S PAUNCEFORT E , A N G L U S .

A. D. 9. Julii , horis locoque solitis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officina FRANCISCI HALMA , Academiæ
Typographi , c l c xc .

*Dignissimo Viro & Parenti
meo Optimo*

**D. ROBERTO
PAUNCEFORTÉ,
Generoso.**

Viro admodum Reverendo

**D. HENRICO
HICKMAN,**

Verbi Divini Dispensatori fidelissimo ,
plurimū de me merito.

**D. GRIMBALDO
PAUNCEFORTÉ,
Fratri meo charo , Interioris Templi so-
cio.**

Hanc Dissertationem

D. D. D.

N. RAUNCEFORTÉ, Auct. & Resp.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

Vesicæ & Renum Calculo.

THE S I S I.



Achinas omnes hydraulico pneumaticas, quæ Automata constituunt, iisdem Motus & Quietis Legibus parere ac universum Microcosmum, cujus partes existunt, nemo seniori Philosophia leviter tantum imbutus concedere hæsitabit. Hinc singula Machina non absque omni ratione Microcosmus dici potest, quoniam determinat solidum & fluidum Universi statum in sua peripheria, qui busdam nempe Alveolis & canaliculis excepta corpuscula hic illic dispergendo, mutuisque ictibus collisiōris & propulsivis illa immutando alterando & corrumpendo, donec situm partibus familiarem & amicum arripiant. Prout vero in Macrocosmo, mutuum occursum ineuntia corpora multum abrasionis & solutionis continui admissunt, unde postmodum irregularem & angulosum situm acquirendo, inæquales admittunt ulterius propulsa concatenationes suarum irregularium partium, molesque postea conflant inconditas densiores & immobiliores, ob fibrosam & inæqualem coacervatarum superficerum structuram; sic etiam in Microcosmo seu Machinis eadem sèpius incommoda extant, ubi à sphaerica, motui maximè convenienti figurâ, corpora declinant, oblongum angulosumque situm nacta. Hæc Corpora coalita Lrides silices Rupesque &c. in Macrocosmo, Calculi in Microcosmo proprie dicuntur, & in specie, cum de Excellentissima Machina & Microcosmo specificè apud Authores ita nominato nempe Homine nobis hic sit sermo, ad differentiam aliorum Calculus vel Ludus humanus ab Helmontio cum vero nimis longum & tædiosum foret singularium partium Calculos hisce Thesibus velle complecti, specialiter hic de Calculo Renum & Vesicæ, Faveete summo Numine, dicturi sumus.

4 D I S P U T A T I O M E D I C A

II. Calculus igitur nil aliud est nisi concretio molecularum seleno-terrestrium lapideam duritatem acquirentium. Qui sequenti modo elaboratur: Particulae Aquosæ vehiculum & receptaculum Sali & Terræ, illa reddunt fluida flexibilia & mollia, ita ut à pressione Ætheris circumagi queant ejusque istib[us] cedere, in minora ramenta divulsa, quæ obliquioribus segmentis cohærentia glutine aquoso in globulos coguntur infinito modo subdivisos, unde facilis rotatio illarum molliorum Sphærularum contingit, quamdiu mixtura debita salino-Aquosa Terræ perstat. Si vero textura istius terræ semel divortium patiatur, ita ut incurvatio illorum ramentorum & cohæsio Sphærica tollatur, statim frusta avulsa inordinatam & turbatam fæculentiis reddunt fluidi corporis mixturam, fæcesque arctius ad se invicem pressæ, si aquâ scanteant, crassam constituunt pituitam viscidam & lentam, si vero potiori aqua priventur, sale tantummodo copiosiori superstite, arctius poris inclusu, producent Calculum in omni Corporis parte, præcipue vero in Renibus & Vesica. Hinc non immerito concludendum est viscositatem humorum incusari posse tanquam Calculi primum Authorum, ut postea latius.

III. Aqua intimius considerata cum sit corpus quidem flexible glabrum & molle attamen oblongum, ideo in parva requiritur copia, in hisce fluidis Miscelis motu majori instruendis, alias illis obfutura potius quam profutura, ob duas præsertim causas: primo ob ejus nimiam extensionem, (qua mediante cum terrâ salina & viscosa evadit) reliquis communicandam, unde reperent magis quam fluenter; secundo ob nimiam terrestrium superficerum divisionem, unde salium spicula, quæ alias divisa & minima ramenta discontinuata erant, amplius spatium naæta in copia congregantur, & ope aquæ fluorem adipiscuntur, id est acut-angula sua spicula ubivis vicinis corporibus offerunt quæ lœsiones inde manifestas subeunt in sua textura sphæricâ.

Aquæ igitur superabundantia plurimorum malorum Author est indebitè figurando particularum situm & nexus, quæ ad duo reduci queunt, tardiorem nempe motum & coalitionem Corporum. De retardato motu hic tantum obiter considerabimus, illum solummodo consistere in mole aucta corpusculorum coagmentatorum à figura

INAUGURALIS.

figura sphærica declinantium: unde facile colligere est retardationem stricte dictam gradu tantum differre, in eo autem ulterius discrepant, quod motus etiam per aquam, æque ac per terram retardatur, sed coalescentia specificè sali & terræ conveniat, quæ mutuum in amplexum rapta densam fovent compagem lapidificæ concretioni aptam natam. Ab aquæ autem permixtione salium unitorum solutio & actio in terram imminuendam quæ hoc modo primo fluida facta, ulterius per varias ab ambulationes & occursum mutuos in soliditatem pristinam conflanta est: ut in sequentibus

V. Soliditas præcipue in nostro casu terram respicit indurata

Solidum redditur corpus à statu fluido 1. per aquam;

quamvis enim mollia & flexibilia in toto permaneant corpora attenuatæ singulæ partes firmæ & solidæ existunt, ut patet in turbidis & vapidis liquoribus, 2. per copiosa salia nimis fixa & longa spiculorum serie gaudentia, oblonga & rigida sphæricam ramosorum corporum figuram tollentia, ut patet in sapone, & acidis oleo permixtis lentorem & duritiem ei conciliantibus, 3: per aquæ debitæ privationem, unde arctior saline terrestris cohæsio succedit, ut succi & liquores quivis evaporati demonstrant. Quæcunque igitur illa tria non admittunt, solidam duritiem calculo convenientem nequeunt inire.

VI. Loca igitur prout in Macrocosmo sic & in Microcosmo elaborationi lapidum destinata sunt ea quæ aquis scatent muriaticis & acidis salinis particulis imprægnata, ita ut audacter fere asseverare licet omnes humani corporis partes lymphâ & sero instructas copiosiori lapidificationi esse obnoxias, modò sequentia requisita illic reperiantur viz. Nimis extensaper aquam terra, cohæsione tenaci gaudens; Aciditas levis spiritum internum tenuissimum materiæ subtillis sobolem adjutricem suffocans, terræque exteriororis in crustationem efficiens; Calor quo mediante illa crusta exsiccatur & ulterioris condensatur, ita ut propriam describat molem in sua circumferentia secedentem à reliquis levissimis & rarioribus moleculis oleosis debitiè figuratis. Durities quæ oritur ab aqua & spiritu maxima in parte fugatis per corticem adhuc mollem & porosum existentem, unde perfectus calculus. Sal autem cohærenti terræ interclusus, aqua potiori privatus perstat in illis carceribus, imo sæpius copiosior ac-

5 D I S P U T A T I O M E D I C A

cedere potest quamdiu porosa maneat partium terrestrium molitiae,
in crassa illa terra postea figendus.

VII. Productionem igitur calculi sequenti modo describimus Calculus est durissima terrae viscosæ condensatio, per salium irregularem impetum & humidi aquosi privationem internam productus in locis Aquolis salinis.

VIII. Renes & Vesicam secretioni feri falsi dicatas partes, facile hic primas tenere ex præmissis nemo non intelliget, cum illis in locis per excellentiam aqua salina sese sistat, balsamicis oleosis particulis pro maxima parte privata, superstes autem ea oleosarum quantitas quæ sufficiat in bene constituto corpore, ad acrimoniam salinam infringendam, ne à sphærica & molli figura devient. Contrarium autem evenit ubi falsa aqua prædominium obtinet quæ mediante agitatione & concussione stagnantis liquoris in varia filamenta oblonga discindit oleaginosas sphærulas, quæ facile per pressionem aut subsidentiam, immediatam viciniam contrahentes, præcedente mutua superficie rum irretitione & juxta positione, in quietem reducuntur

IX. In urina tales dari falsas particulas muriaticas præter odorem & gustum demonstrat Analysis Chymica, quæ salia educit volatilia, sed raro aut nunquam fixa. Cujus autem notæ sint illa peccantia salia, illud jam inquirendum restat, Extra controversiam est obstrunctiones & morbos quosvis frigidos Chronicos ex incrassatione humorum ortum trahentes, acido attribui & per Medicamenta acidis contraria à Medicis sagioribus, curari, Alcalia autem acria impetuosis in actum suscitata calidos, acutos & breves efficere morbos, quivis leví etiam Doctrina Physico-Medica instructus novit. Acida enim diffingunt & postea constipant suo ingressu terram ramosam, è qua eliminant Ætherem subtiliorem salinum, & aquam, salemque tenuem suo accessu oblongum & acuminatum reddunt, unde immobiliar exurgit textura, ut patet in omnibus phænomenis acidi colluctantis cum oleosis alcalinis. Alcalia vero volatilia Æthereis motibus auscultantia raram tenuemque conservant fluidi consistentiam, ita ut à supra liquidi parte ad insimam, pressionem suam continuare possit, sphærulas illas continua in circumgyratione continens, ut patet in spirituosis alcalinis oleosis & ardentibus liquoribus & spiritibus; hæc enim liquida omnia uni classi adscribenda censeo. Requiritur autem certa figuræ proportio inter figens acidum & fingen- dum

dum alcali oleosum, ut mutuos poros subingredi queant, alias enim frustraneus esset exterui acidi impetus, prout Chymica passim demonstrant Experimenta, quae hic recensere nimis longum & tedium foret. Sufficiat obiter nostram sententiam, salvo Doctiorum judicio, hic proposuisse, nempe Lapidificationem Calculi pro causa agnoscere muriam acrem viscoso-ramosis particulis associatam, solutionem figuræ sphæricæ producentem. Muria autem sit accessu acidi unde sial enixum & combinatum fit, acredo autem ejus velocem motum & punctorum subtilitatem denotat, ope quorum facile fese insinuant. Figuram turbant & oblonga sua acie eadem læsa corpora connectunt.

X. *Diagnosis & Prognosis futuri & præsentis Calculi illud demonstrare* videntur dolores enim acuti & graves circa lumbos & renes ut & ardores varii circa eandem regionem observantur. Nauseæ Vomitus, Colica Nephritica, stranguriaæ atroces, Cachecticus & seborbiticus totius corporis sæpius habitus, animi deliquia, rosiones intestinorum & Convulsiones, sudores & Ructus acidi, passiones hysterica in foeminino sexu, dolores Arthritici varii, urina aquosa pallida mucaginosis coagulis referta, rubra & sanguinea enim urina fit per calculum lædentem, dolor gravatus circa pubem, tenesmus, pruritus dolorificus penis &c. Quæ omnia demonstrant saltam acredinem aquæ turbidæ communicatam, cruciatus varios producentem pro locorum habitu & ratione materiae morbiſicæ.

XI. *Exploratur calculus per Cathetherem vesicæ sensim intrudendum, aut per digitum ano immittendum, interdum perceptibilis adeſt calculi mottus* è Renibus in pelvem & ureteres ad Vesicam delabentis; in quo caſu dolorum varietates & excruciationes multis variæ observantur, ut apud Paſticos videre est.

XII. *Prognosis est dubia cum hucusque vel nulla vel latem incertalithontriptica dentur.* Quamdiu autem molle adhuc rudimentum viscosum calculi est, tamdiu spes remedii effulget; sic etiam ubi coagula minora existunt in vasorum orificiis, adeo ut commodè per ea propelli queant sine manifesta læsione aut diutina stagnatione; si vero aspera & angulosa majoris molis existat Calculi superficies, horrenda & vix unquam nisi manu Chirurgica levanda minatur symptomata. Foeminæ Viris curantur felicius ob urethræ latitudinem & brevitatem faciliorem exitum concedentis.

XIII. Curatio duplē respicit scopum, nempe 1. ut causa morbifica tollatur 2. ut ipse morbus aut ejus jam existentia symptomata leniantur, si curam plenariam non admittant. Causa morbi in sale acido-acri seu muriatico volatili aquæ permixto sita, præcavetur abstinentia & diceta bona; sic caveant sibi ab usu piperatorum, sal Suginosorum & acrīum acidorum, ut & à caseo præcipue vetusto putrido & aromatico-acri, itidem à Cerevisia & vino vetustiori ad acidum vergentibus, sic & à fructibus crudioribus &c. Recipiant vero balsamica & euchyma quæ salia involvere queant eorumque ferociam cohibere. Morbi ejusque Symptomatum cura præcipue in diureticis oleosis & salinis particulis consistit, quæ viscosam cohaesione, è qua incrementa & superductions seu incrassationes calculi sunt, diluere & cum urina educere apta nata sunt. Hæc sunt quævis fere olea expressa, ut amigd: d: Rapar: Lini, Olivar, de Palma, Macis, Balsam: Peruv, Copayv, Therebinth quævis; Resin Mastich: Elemii. Taccamahac; Gumm. Arabic, Ceras; Ol. still. Nuc: Mosc. Junip; succin; sapo. Hispan; sapo ex Oleo Tereb; sal Ononis, scord, urtic, Crem. tart, solubil; Vegetabilia quævis oleoso falinis blandis diureticis instructa, ut sem. Cannab, urtic. Roman, Lapp. Major, Dauc vulg. Bacc. Junip. Heder; Arbor; Rad. quinqueaperient: Lapp: Major. scorsoner. hispan. Althæ, Fol. herb. emollient. flores sambuc. Fructus Nux Moscata, Cass. fistularis; Cortices Macis, fraximi, tamarisc. Rad. Cappar. &c. E quibus omnibus debito modo pulverisatis, extractis distillatis, vel mixtis fieri queunt diversæ remediorum formulæ liquidæ aut solidæ. Interim alvus libera, per Clisteres aut purgantia leniora quæ acredinem intendere nequeunt, est servanda, pro liberiori vasorum reseratione facilitanda, valde necessaria in expulsione Calculi. Si vero dolores nimii urgent, ne animi deliquia & viarium nimiam prostrationem patiatur Æger, ad Anodina & Opiata confugiendum ut minori cum molestia excretio facilitetur. Conveniunt insuper balneationes, ut laxior & mollis corporis textura procuretur, & mitior dilatatio succedit vasorum, calculum hoc modo facilius dimittentium. Hisce incassum adhibitis, ad manum & periti Chirurgi Instrumenta confugiendum, ut pertinacissimum cruciatuum, Deo favente, assequamur.

F I N E M.